

GLORIA IN EXCELSIS DEO. Et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex caelestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite, JESU CHRISTE. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus Sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus Altissimus, JESU CHRISTE. ✠ Cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

MUNDA COR MEUM ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

JUBE, DOMINE BENEDICERE. Dominus sit in corde meo et in labiis meis, ut digne et competenter annuntiem evangelium suum. Amen.

CREDO IN UNUM DEUM, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, not factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: ET HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in caelum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos. Cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre, et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. ✠ Et vitam venturi saeculi. Amen.



QUI PRIDIE quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem tibi gratias agens, benedixit ✠ fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite et manducate ex hoc omnes:

HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

SIMILI MODO postquam coenatum est, accipiens et hunc praeclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas item tibi gratias agens, benedixit ✠ deditque discipulis suis dicens: Accipite et bibite ex eo omnes:

**HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI,
NOVI ET AETERNI TESTAMENTI
MYSTERIUM FIDEI
QUI PRO VOBIS
ET PRO MULTIS EFFUNDETUR
IN REMISSIONEM PECCATORUM.**

Haec quotiescumque feceritis,
in mei memoriam facietis.

SUSCIPE SANCTE PATER omnipotens aeterne Deus hanc immaculatam hostiam quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentis meis et pro omnibus circumstantibus sed et pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis: ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

OFFERIMUS TIBI Domine calicem salutaris tuae deprecantes clementiam: ut in conspectu divinae majestatis tuae pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

IN SPIRITU HUMILITATIS et in animo contrito suscipiamur a te Domine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie ut placeat tibi Domine Deus.

VENI SANCTIFICATOR omnipotens aeterne Deus et benedic ✠ hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.

SUSCIPE SANCTA TRINITAS hanc oblationem quam tibi offerimus ob memoriam passionis resurrectionis et ascensionis JESU CHRISTI DOMINI NOSTRI: et in honorem beatae Mariae semper Virginis et beati Joannis Baptistae et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et istorum et omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem nobis autem ad salutem: et illi pro nobis intercedere dignentur in caelis quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

PLACEAT TIBI sancta Trinitas obsequium servitutis meae: et praesta ut sacrificium quod oculis tuae majestatis indignus obtuli tibi sit acceptabile mihi et omnibus pro quibus illud obtuli sit te miserante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.